

Bibliothèque numérique

medic@

**Stegmann, Ludwid Renhold. -
Dissertatio inauguralis
medico-chirurgica de struma**

1795.

lenae, literis Fiedlerianis

Cote : 91009 t. 64 n° 13



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?91009x64x13>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
CHIRURGICA

DE

S T R U M A

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET
GVESTPHALIAE LANDGRAFIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. XXIX. SEPTEMBR. MDCCCLXXXV.

PVBELICE DEFENDET

A V C T O R


LVDOVIC. REINHOLD. STEGMANN

DORPATO-LIVONVS

I E N A E,

LITERIS FIEDLERIANIS.





Differentia specifica inter *strumam*, *bronchocelen* et *serofulas*; a prioribus medicis ignorata aut saltem neglecta, a recentioribus curatius definita, novum et satis firmum nobis offert argumentum, quam vani sint conatus medicorum circa omnem rem medicam, nisi prius dignoscere velint morbos a ceteris, et praesertim ab iis, qui, cum maximam symptomatum affinitatem inter se habeant, incertum et fluctuantem medici animum magis magisque confundunt. Quare certe multum et plus etiam, quam verbis exprimere fas est, celeberrimo WICHMANNO *) debemus, medico Hippocratico, qui fere primus *Diagnosticon*, aut potius *Semioticon* comparatam variorum morborum et horum etiam, de quibus hic sermo est, delineavit, et ita quidem exstruxit, ut non solum signa explicaret morborum inter se similium

et

*) *Ideen zur Diagnostik*. I. B.

et dissimilium, sed etiam viam sterneret, qua de diuersis curandi methodis ex his signis rite intellectis et semel memoriae inculcatis optime decernere possimus. Non igitur effectus huius vel illius medicamenti referre audebo, priusquam symptomata diagnostica malorum affinium inter se, vt vt potero, eruerim.

„Causa proxima morbi scrofulosi, inquit Ill. HUFELAND*) Praeceptor optimus, est atonia et debilitas systematis „lymphatici tam magna, cum irritabilitate morbosa ita aucta „et specifica quidem, vt inde acrimonia specifica lymphae generetur.„ Morbus scrofulosus hereditarius est, saepe aliis morbis se associat, complicatus, haud facile a medico recognitus, sanitati semper et saepe vitae periculosus. Scrofulae ipsae, sequelae aut comites morbi scrofulosi, sunt tumores glandularum in omnibus corporis humani partibus, quarum causa ex descripta cacochymia scrofulosa repetenda est. Morbus scrofulosus aut vnam tantummodo glandulam afficit, praeternaturaliter et circumscripte mole sua auget, ac tumidam reddit, aut plures glandulae cohaerentes, inaequales, inflatae, gibbosae redduntur, pressioni digitorum resistunt, et accedente negligentia medici aut aegroti, per longum tempus ita perdurant aut vero in inflammationem et suppurationem abeunt. In casu rariori glandula thyreoidea morbo scrofuloso etiam adfici potest.

Bronchocele, vt ex ipsa etymologia apparet, nunquam morbus glandularum, sed potius tumor tracheae aut aspe-

rae

*) Ueber die Skrofelkrankheit. Jena 1795, S. 57.

rae arteriae est, qui oritur, quando huius membrana interna ita dilatatur, ut per duos annulos cartilagineos penetret, transeat, et in parte anteriori colli tumorem mollem in dies crescentem formet *). Cutis externa colorem naturalem non amittit, tumor increscit dum spiritus retinetur, initio mobilis et quasi spongiosus, pressioni digiti facile cedit, fere emphysematicus, tactu aërem aut fluidum quodcumque in tela cellulosa continere videtur **). Reuera non ab aliis gignitur rebus, quam a praegressa membranae laryngis internae laxitate, junctim cum actione aëris vehementiore in hanc ipsam membranam. Nam plerumque subito, et verosimillime, a causa mechanica, nifu, tussi, vomitu vehementiore, a partu difficili ortum trahit bronchocèle, saepe ad senectutem usque, sine damno aegroti perdurans. Potest quoque *hernia tracheae* nominari, quum insuper denominatio veterum (*hernia gutturis*) hanc eandem morbi speciem significare videatur.

Nunc vero de proprie sic dicta *struma* agendum est. Apud veteres haec eadem denominatio, omnes glandularum tumores, scirrhus amplexa, nobis nullum, quam glandulae thyreoideae tumorem denotat. Ill. WICHMANN ***) vocem germanicam *Kropf* ad bronchocelen denotandam adhibet, vereor autem, ne ista verborum immutatione res ipsae

A 2

*) GIRARD *Lupologie ou traité des tumeurs* p. 406-407. C. G. KORTUM
Commentar. de vitio scrophuloso. T. I. p. 14.

**) WICHMANN l. c. p. 115.

***) l. c. p. 112. seq.

ipsae confundantur: quare melius videtur, more maiorum tumorem glandulae thyreoideae tantum, nec ullum alium, hoc germanico vocabulo appellare, praesertim cum hic morbus nullibi potius quam in illa glandula *) apparere et hunc specificum tumorem, vulgo *Kropf* appellatum, procreare videatur.

Antequam autem ad signa, causas et curationem morbi progrediar, glandulae, de qua sermo est, descriptionem paucis verbis explicare liceat **).

Descriptio anatomica glandulae thyreoideae.

Ex maximis corporis humani glandulis est, quae exterior laryngi adhaeret. Anteriora tenet thyreoideae cartilagini atque cricoideae, et denique superiora annulorum asperae arteriae et latera. Ad cricoidem cartilaginem exactius, ad vicinas partes laxius, cellulosis fibris adhaeret, etiam ad oesophagum. Inferior margo obiter in lobos diuisus, deorsum conuexus est, ut vertex parabolae ante asperam arteriam sit, sub ima cricoidea cartilagine, ad tertium usque tracheae annulum, et summum sternum respiciat, latera utrinque ad superiora diuergant. Duo laterales lobi, utrinque, per muscoli hyothyreoidei faciem anteriorem summam ad

*) HALLER *de partib. corp. hum. fabrie.* pag. 270.

EIVSDEM *oper. anatom. argum. minor* Tom. III. *acced. epistol. pathol.* pag. 287.

**) HALLER *l. c.* p. 261, seq.

ad cartilaginei scutiformem adscendunt (cornua lateralia) et tota glandula crescentis lunae imaginem quodammodo repraesentat. Media vero ex coniunctione horum maiorum cornuum surgit columna. Surfum saepe gracilescit, alias surfum crassior fit. Exterior color in fetu ex sanguinis copia fere rubet, in adultis hominibus aut ruber est pariter, aut expallescit, in feminis etiam magis. Interior fabrica, et ipsa rubra, aut flava, mollis, ex obscurioribus, quam aliae glandulae, minusque distinctis lobis constat, neque pariter conspicua cellulosa intervalla habet, per quae vasa interiora incedant, etsi pariter tota cellulosa densoque involucre tegitur. Appendix tamen glandulae conglomeratae similior est. Antrorsum a musculis sterno-thyreoideis tegitur glandula, quos supra sternohyoidei se expandunt. Sed insuper musculus azygos glandulae thyreoideae proprius, a medio corporis ossis hyoidei ortum ducens, supra cornu medium, seu columnam mediam extenditur. Qui musculi contracti glandulam premunt, surfum trahunt, et quum ossis hyoidei media pars plus quam larynx et aspera arteria antrorsum situata sit, musculus azygos glandulam, ab his corporibus partim sejungere valet. Sanguinem glandulae aduehunt quatuor magnae arteriae, thyreoideae nempe superiores et inferiores, reuehit potissimum vena thyreoidea descendens. Vasa lymphatica a facie et capite in glandulam emergentes, ejusque ex folliculis cellulosis affluentes se praecipitant in maiora vasorum flumina, quae venas jugulares concomitant, et in adjacentes hic vbique glandulas lymphaticas abeunt. Nervi, quibus abunde praedita est glandula, a nervis paris octavi, praesertim autem a

recurrentibus adueniunt. Sanguine omni abluto, liquor albus, mucilaginosus, albumini oui similis, in aqua ebulliente non coagulabilis, sub intumescencia glandulae augescens reperitur. An ductus excretorios habeat thyreoidea, nec ne, hucusque nondum satis euictum est *), quamuis observatione et experientia edocti **) communicationem glandulam inter et laryngem tracheamue non prorsus nos denegare posse videamur. Sic, ut vnum saltem allegem, aërem et spiritum vini ex larynge vndique bene clauso glandulam thyreoideam penetrare vidit Foderé ***): ita ut, etiamsi omnino veri ductus excretorii statuendi non sint, attamen vasa absorbentia laryngis ex tunica interna originem trahere, atque exinde in cavitates glandulae thyreoideae cellulosas, aut in vasa lymphatica eam permeantia, se praecipitare, veritati absimile haud videatur. Forlan etiam, ut in ventriculo et intestinis fieri videmus, plures ramuli arteriosi, ex arteriis glandulae egressi, in hanc tunicam se effundentes, ad humectandam tracheam liquorem aquosum exhalant.

Descriptio status morbose glandulae thyreoideae.

Status glandulae pathologicus, quando nempe intumescit, et praeter naturam dilatatur, *struma* audit. Non autem unusquisque in hac regione colli tumor occurrens

glandulae thyreoideae cellulis suis exsurgens, et in ea

*) MORGAONI *Advers. anatom.* T. I. p. 35. 36. T. V. p. 266.

HALLER *de partib. corp. hum. fabric.* T. V. p. 266. 267.

**) *Mem. des Sav. étr. de l'Acad. Royale des Sciences.* T. I. p. 160.

***) *Essai sur le goître et le croûinage.* Turin 1792.

glandulam thyreoideam afficit: haud enim raro aliquod fluidum in telam cellulofam glandulam circumdantem se effundens, ibique stagnans, magnitudinem glandulae valde imminuit, comprimit *). Interdum tumor cysticus in regione tracheae superiore volumen glandulae augere videtur, praesertim si cum glandula illa, vel sana vel morbofa, firmiter cohaereat. Talia exempla memini me audire in praelectionibus chirurgicis Ill. LÖBENI, qui et varias ad hunc morbum spectantes observationes beneuole mihi communicauit. Idem vir Ill. retulit mihi, saepius se vidisse strumam *partialem*, cum nempe pars tantummodo glandulae thyreoideae morbo affecta esset.

Porro strumae in *veras* et *spurias* ab auctoribus diuiduntur. *Veræ* dicuntur, quarum causam proximam affluxus humorum ad glandulam auctus morbosus fuit: *spurias* contra, proxime ex lymphâ, sanguine, aëre in tela cellulosa glandulam circumdante oriri affirmant. Hic saltem de prima strumarum specie, nempe de *verâ*, agendum est. Initio haec parua, mollis, fluctuans, colore cutis non immutato, non dolorifica, in dies crescens obseruatur. Si latius extenditur vsque ad arteriam asperam, immo etiam ad claviculam aut sternum vsque, in cauum pectoris descendit, tracheam pulmonemque comprimit **), respirationem anxiam reddit, impedit, denique aegrotum morte suffocatoria

aut

*) BELLS *Lehrbegr. der Wundarzneykunst*; aus d. Engl. 4ter Theil. Leipz. 1794. S. 347.

**) SCHMUCKERS *vermischte chirurg. Schriften*, 1ter Band.

aut apoplectica corripit *): supra sternum extensa saepe humerum occupat, collo mobilitatem demit. In casu pertinaciori ipsa sanguinis circulatio impeditur: cutis a sanguine in vasis stagnante rubicunda, succo nutritio huc nimis magna copia affluente, et multis demum venis inflatis repleta, ad inflammationem maxime proclivis fit; quae pressione aliqua fortiori, aut contusione, aut vitio diaetetico promota, facile in suppurationem abit, non superficiale solum, sed profundius repentem, abscessus et fistulas procreantem. In casu rariori struma scirrhusa carcinomatosa observata est **). Cultro anatomico dissecta struma quasi ex subrotundis vesiculis, variae magnitudinis, subflavoque et lento liquore imbutis, ex omni parte coagmentata, apparere solet, quae vesiculae, natiui ipsius glandulae acini, remorantis humoris vi, in eam magnitudinem dilatati esse videntur, id quod imprimis ex iis praeparatis variorum speciminum strumae dissectae, quae in museo anatomico Ill. LODERI asseruantur, observare mihi licuit. HALLERVS ***) strumam ingentem examinavit, in cuius medio alba callosa pinguedo fuit, et veluti lapidea substantia. Alia continuit cystidem oui gallinaei mole, proprio inuolucro circumdatam, scirrhuso quasi cartilagineo et arenis tophaceis ac flava materia repletam. In alia struma hydatides aliquot, in alia arteriae et venae praeter naturam dilatatae inuentae sunt. Eiusmodi quoque specimina in museo Ill. LODERI me videre memini. Fluidum

in

*) HALLER *opuseul. pathol.* p. 283.

**) ASTRUC *Traité des tumeurs.* T. II. p. 172. 173.

***) *Opuseul. pathol.*

in tumore contentum plerumque gelatinosum est, plus minus compactum et viscidum, modo materiam pultaceam, modo adiposam, modo aquosam colore ex fusco rubro referens.

Ex anatomica adumbratione fatis elucebit, fabricam glandulae thyreoideae adhuc latere, quum partim ob non distincte visos acinos, partim ob deficientes ductus excretorios euincere non possimus, an glandulis conglomeratis adnumeranda sit, nec ne? Mihi quidem maxime naturae consentanea videtur opinio Celeberr. Astruc *), glandulam nempe eam esse lymphaticam, structurae sui generis, et quidem nulli alii vsui inferuire, quam vt receptaculum sit lymphae, a capite et facie hic affluentis ad venam subclaviam sinistram aut ad ductum thoracicum legibus naturae reiectae. Ita sit, vt quandoque a morbis systematis lymphatici consensualiter, aut potius *sympathice*, saepius autem ob structuram, a ceteris glandulis lymphaticis valde aberrantem, atque ob situm supra laryngem illi proprium, ceteris corporis partibus integris nullaue cacochymia laborantibus, morbo idiopathico afficiatur.

Frequentissime et fere endemice occurrit hic morbus in imis Alpium vallis, et in quibusdam provinciis, vt in Sabaudia, Vallesia, in Pedemontio, Carinthia, Stiria, Hercynia, et in diuersis Franciae, Angliae et Russiae regionibus.

*) l. c. p. 166.

bus *). In omnibus his prouinciis plerumque a causis accessoriis pendet morbus, quandoque autem hereditarius dicitur. Nempe obseruatum fuisse referunt **), ex vno vel altero parente strumoso natos plerumque sanos euadere, infantes autem ex connubio patris et matris struma laborantium ita constitutos esse, vt tertia demum ab ita dispositis procreata generatio, praesertim si in loco, vbi endemice grassatur morbus, fit conceptio, cum struma congenita in lucem prodeat. Struma a causa accessoria plerumque septimo, octauo, aut nono vitae anno demum oritur, interdum etiam secundo mense a natiuitate visa est oriri.

De causis strumae.

De causis strumae huc vsque non conuenit inter medicos, ita, vt diuersitatem opinionum cum numero scriptorum pari passu ambulare videamus. Vetus est opinio, quod solum in

*) SAUSSURE *Voyage dans les Alpes*. Vol. II.

CONE *Briefe über die Schweiz*. 2ter Th. Zürich 1791.

FODERE *Essai sur le goitre*. Turin 92.

Tyrolensium, Carylthiorum Styriorumque strumae a Iosepho GARTNERI obseru. et descr.

LENTIN *Memorab. circa aër. Clausthal*. Götting. 1779.

Lupulogie ou Traité des tumeurs par M. GIRARD. 1775.

An account and method of the cure of the bronchocele or derby-neck etc. by Th. PROSSER. London 1770.

PALLAS *Reisen in verschiedene Provinzen des Russischen Reichs*, 1ter Th. St. Petersburg 1771.

**) FODERE l. c.

in potu aquae niualis aut glaciei regelatae *) quaerenda sit huius mali causa: tribuerunt alii ipsam aquae frigori, alii defectui aëris fixi **). Sunt, qui ex partibus aquae constitutivis, ex selenito aut topho aut marga, quae corpora in his locis in aqua soluta inveniuntur, omnia declarare cupiant ***). Alii denique auctores ardorem coeli aëremque humidum in imis vallibus stagnantem accusant.

Quod primam, cujus mentionem feci, attinet opinionem, nempe in aqua niuali regelata sumendam esse strumae causam; dixerunt e contrario alii auctores, non admodum rarum esse, ut in eiusmodi regione struma occurrat, cujus habitatores aqua niuali non utuntur, e. gr. in vrbe Neapoli et in insula Sumatra appellata, quum contra in regionibus, ubi omnis aqua potui inferuens e receptaculis glaciei ac nivis hauritur, immunes a malo inueniamus incolas. Enimvero, nihil plane aliud, ut mihi quidem videtur, ex hac tali argumentatione concludere fas est, quam, quod jam antea bene novit unusquisque litterarum non prorsus imperitus, nempe, strumam non semper una eademque causa produci, atque ab aliis rebus in Italia, ab aliis in Heluetia nutrirī. Porro autem, etiamsi verum sit, in quibusdam locis, ubi frequenter aqua consumitur niualis, nihilominus non multos aut paene nullos inueniri homines struma laborantes,

B 2

quidni

*) SAUSSURE l. c. FODERE l. c.

**) SELLE *Medicin. clin.* 1793. p. 415.

***) PALLAS l. c. p. 38. EIVSD. *Nordische Beyträge*. B. II, S. 123.

COXE f. c. p. 188.

quidni potius non praedispositos fuisse eos crederemus, quam, quae tam aperta tam euicta sunt, denegare vellemus. Docet enim satis firma experientia, docent magnorum viro- rum fidae obseruationes, quam bene multi tumores glandu- losi ex mero aquae niualis regelatae abusu repetendi sint. Sic sociis itineris celeberr. FORSTER *) sub potu aquae niualis glandulae colli intumescabant, et postquam ab illo absti- nuerant, tumores cito euanescere visi sunt. CL. COXE **) pro vnica huius mali causa materiam calcariam habet aut Tophum polymorphum LINNEI, germanice *Tuffstein*, tam subtiliter in aqua solutum, vt a naturali sua pelluciditate nihil quidem amittat: quae particulae solutae, vt illi vide- tur, ad glandulas colli se quasi adglutinant, strumamque formant. In omnibus enim Europae regionibus, quibus struma solemnis est, hunc tophum, hanc materiam calca- riam, in aqua se reperisse asserit: quin etiam non raro chi- rurgum aliquem particulas tophaceas e strumis extraxisse contendit, et vnum exemplum prae aliis memoratu dignum allegat, vbi hic idem chirurgus plures ex hac materia consi- stentes lamellas longitudine dimidii pollicis manu prehen- disse solisque remediis externe adhibitis et abstinentia ab hac aqua aegrotos sanasse dicitur. Nunc, quamuis huic ob- seruatori contradicere nec possim, nec temere velim; omni- no tamen fatendum erit, non eandem semper hic statuen- dam esse rationem, non vnice, non necessarie a causa allata, aut, vt alii volunt, a superflua salis quantitate in aqua so- luti pendere hoc malum. Nam accuratiore aquarum et lo-

corum

*) *Reise um die Welt*, 1ter Bd., Berlin 1784. S. 111. 112.

corum indagatione didicimus, aliquas regiones strumae non expertes minus praeditas esse aquis calce impraegnatis, quam locos excelliores, in quibus struma prorsus non observatur *).

Aër humidus, calidus, et stagnans in vallibus, tantum pro causa praedisponente censendus est: totum corpus relaxat, potissimum autem partes aëri maxime expositas, quibus etiam glandula thyreoidea adnumeranda est. Nunc, si causa occasionalis accedit, morbus ipse (struma) producitur. Quod autem causa aliqua occasionalis vere requiratur, ex illis locis optime videmus, in quibus struma endemice regnat, quamvis nec ab altis montibus circumdatae, nec a vento defensae sint **).

Ex his nunc recensitis opinionibus apparet, originem hujus mali non vnicam agnoscere causam, sed plures potius concurrere debere causas occasionales et praedisponentes. Pro causa proxima plerumque assumitur stagnatio et accumulatio humorum in cavitate cellulosa aut in valis hujus glandulae. Qui conglomeratam eam credunt, et functionem illi attribuunt secernendi humorem per ductus excretorios in laryngem sese effundentes; hos ductus coarctari, comprimi, et sic obstructionem acinorum produci affirmant. Si autem, ut supra memoravi, thyreoidea glandula lymphaticae structurae et fabricae sui generis est, tunc potius obstructio et accumulatio lymphae pro causa habenda erit. Hoc

B. 3

modo

*) FODERE l. c.

**) PALLAS l. c.

modo contenta aut continentia, aut utraque simul morbose affecta esse possunt. Nempe fluidum diuersimode vitatur: aut inertia, ita, ut lymphæ nimis viscida, mucosa, aquosa, oscillationem vasorum lymphaticorum non promoueat, atque in valis et cavitatibus cellulosis glandulae stagnans, ibi morbose accumuletur: aut irritabilitate aucta, spastica vasorum et cellularum constrictione liberum lymphæ fluxum cohibente, aut secretionem fluidi morbose aucta ad intumescientiam prædisponitur glandula. Saepe enim glandulam a fortiori stimulo, ut a frigore, transpiratione partiali suppressa, pressione, concussione, contusione, onere grauiori suscepto, a spasmo irritatam, hac constrictione vasorum aut atonia eosdem producere effectus videmus, quamvis ceterum totum systema lymphaticum perfecta fruatur sanitate.

Accumulatur vero aut corrumpitur lymphæ sub coelo frigido, humido, tempestate saepe commutata, a transpiratione suppressa, a potu frigidiusculo, imprimis aquae particulis tophaceis imprægnatae, aut spirituoso, a victu crudiori, e. gr. usu farinosorum, carnis aridae, lardi, leguminum, vini præsertim acidiusculi, ab immunditie, et denique a causa morbosa specifica, scrofulosa. Non agunt autem hae causae nisi in dispositos, corpore laxo et debili præditos, aëri humido calidoque saepe expositos, mollem victum gerentes, tristitia, moerore saepe affectos. Inde fit ut feminas et infantes potius adgrediatur morbus, quam viros, ut ipsis in locis, ubi endemice occurrit, viatoribus et peregrinis illuc venientibus plerumque parcat, quamvis

non

non semper id fieri in bello septenni tota cohors militum experta est, quae, postquam in Stiria aliquamdiu in custodia fuerat, emissa, struma laborare visa est.

Solus etiam nifus vehementior, concussio, tussis, vomitus, vociferatio, onus graue eleuatum*), inprimis partus difficilis, in dispositis morbum producere valet: nam inter dolores partus clauditur larynx, vt aërem semel inspiratum non emittat, trachea vero extenditur, et aër cum impetu in vasa absorbentia glandulae thyroideae ruit, ejusque cauitates cellulosas expandit, dilatat, tumidasque reddit. Iisdem ex causis saepe et bronchocelen, non sine maximo aegroti damno cum struma confundendam, nasci videmus.

De Prognosi.

Praeter deformitatem, interdum valde molestant, nullas fere noxas strumam afferre videmus, nisi in casu grauiori, quando nempe ad enormem vsque magnitudinem inflata glandula tracheam comprimit, aut sub sternum se praecipitans pulmonibus infesta redditur. A tumoris circumferentia majori minoriue maxime pendet aegroti spes, ita, vt interdum facile, quandoque autem non sine magna difficultate illi medeatur. Tamen vero plus vna vice strumam horrendam ope medica et chirurgica rite adhibita sanata fuisse, apud auctores fide dignos legimus.

De

*) WICHMANN I, 61.

De Cura.

De methodo curandi multae in scriptis medicorum existant regulae, inter se non conuenientes et ad normam generaliore[m] prorsus non redigendae. Multa enim referunt auctores de medicamentis certis atque indubitatis, de methodo vero agendi ac de via operandi plane tacent: morbum nominant, non morbi causam, a qua tamen hic et vbique vnice pendet medicamenti virtus et ratio. Hinc quoduis paene remedium empirice adhibitum pro specifico laudatur: cura diaetetica, quae in hoc morbo saepe sola sufficit, plerumque negligitur, et multa fiunt tumultuarie et sine discrimine. Quare ad tria potissimum respiciendum est, si, vt medicum decet rationalem, aegrum curare velimus, nempe ad curam *diaeticam, medicam et chirurgicam*.

In locis, vbi endemicè grassatur struma, omnium primum constitutio et causae strumam producentes, cujus demum sint generis, attentionem medici requirunt: aërem, aquam, victum incolarum examinet opus est. Saepe struma ex transpiratione partis alicujus suppressa sub restitutione transpirationis euanuit: saepe collum nimis arcto collari circumdatum, strumofum fit. Semper in aëre libero, sicco, nec nimis calido, nec nimis frigido, viuat aegrotus: quare inter vsum aquae purae aut cujuscunque potulenti transpirabilioris deambulatum ire, itinera facere, tumoremque saepe leniter fricare multum iuuat. Non, nisi sub hac diaeta, curam therapeuticam felici euentu suscipere jure speret medicus.

Medi-

- Medicamenta ipsa sunt, quae
- A) humores viscidos inspissatos resolueret,
 - B) vasis oscillationem pristinam reddere,
 - C) acrimoniam humorum destruere, obuolueret, et
 - D) debile corpus roborare valent.

Indicationibus A. B. C. vnicum saepe sufficere visum est remedium ex classe alcalinorum. Prae aliis autem ab omnibus probatur obseruatoribus *) *spongiae tostae* vsus. Partes ejus constitutivae alkalinae, empyreumaticae, systema lymphaticum intrare, resorptionem ejus augere videntur, forsan etiam acrimoniam lympham inspissantem affinitate chemica attrahunt, e corpore euoluunt. In corpore debili, sensibiliore periculosum quandoque fieri hujus remedii vsus observatum est ab Ill. HYFELAND **), ita nempe irritando, ut haemoptysin apparere et statum hecticum verendum esse viderit. Quare ut incommodum istud auertat, puluerem spongiae ad ʒj cum melle et aromate (ut cinnamomo) mixtum, aut imprimis lixiuium spongiae, pulmoni minus infestum, exhibet Praeceptor optimus. Omnibus autem caeteris hanc praefert praeparationem:

Reci-

*) DAN. SANNERT *Pract. med.* lib. II. p. 1 cap. XXV. Colon Allobrog. 1655.
 DeHAEN *Rat. med.* T. II. p. 155. ASTRUC l. c. p. 177. GIRARD. KORTUM
 T. II p. 128. THILENIUS *Medicinchirurg. Bemerkungen* 1739. LETT-
 SOM in *Mem. of the med. soc. of London.* Vol. III. FODERE l. c. UN-
 ZERS *medicinisches Handbuch.* 2ter Theil 1794. p. 464. HYFELAND l. c.
 p. 256.

**) *Ueber die Skrophelkrankheit.*

Recipe: Spongiae concisae, non vsae, sed tostae, vnciam vnam; ebulliat cum aquae libra vna: digere per duodecim horas et colaturae adde tantillum aquae alicujus aromaticae. Ab hac mixtura exhibe omni trihorio cochleare vnum *). In corporibus admodum laxis aut irritabilioribus extractum quassiae mixturae admixtum aut myrrhae et hyoscyami, aut laudanum liquidum S. saepe optime conducere aegrotis vidit Vir celeberrimus. FODERE electuario ex spongia marina primae calcinationis cum cortice cinnamomi et melle parato, terque de die magnitudine nucis auellanae adhibito, saepe strumam post duodecim dies euanescere vidit. Durante vero electuarii usu, singulis octo diebus praeterlapsis aluum laxari, et quamlibet electuarii dosim vna vice sumendam non statim deglutiri, sed potius sensim sensimque in ore solui iussit. Quare non absimilis mihi videtur opinio, vasa absorbentia pharyngis et laryngis, cum glandula thyreoidea communicantia, spongiam tostam immediate imbibere. Varia quoque vidit idem auctor, quae periodum lunae decrescantis in cura haud negligendam esse monstrarunt. Spongia cum sulphure calcinata multas strumas spatium duodecim dierum resoluit **). Lancos pannos taceo, saepe junctim cum hoc remedio adhibitos, ut ego quidem arbitror, nullo vsui inferuientes. Saepe etiam singulae spongiae

*) Memini quoque me audire in praelectionibus chirurgicis Ill. LONER, quibus eodidem sedulus interfui, simile decoctum spongiae tostae per plurimum annorum seriem ab illo in usum vocatum maximamque in struma utilitatem inde observatam esse.

**) GIRARD l. c. p. 425.

giae dosi quouis vesperi cum euphoria admistum fuit mercurii dulcis granum vnum, dum prodromi salivationis apparuerint: saepe vnguentum mercuriale externe adhibitum spongiam adjuuare obseruatum est *). Exhibuit spongiam cum cinnabari antimonii et millepedibus, quibus etiam sub finem morbi adjecit pilulas quasdam mercuriales, Cl. PROSSER **). Sufficiant haec de spongia ejusque adjuuantibus: jam enim ex omnibus, quae allegavi exemplis, satis superque elucet, quam sit efficax remedium. Vnam saltem observationem Ill. HYFELAND ***) adhuc hic proferre liceat. „Saepe, inquit, strumam cum infarctibus aut obstructionibus systematis venae portarum tamarcte connexam vidi, vt omnem respuere curam videretur, antequam haec resoluta fuerint: et, quum spongiam tostam, et quae demum contra strumam commendata fuerint remedia frustra adhibuissem, tandem additioni saponis antimonialis gummosi KAEMPFII, et vsui extractorum resoluentium sub copiosa materiae viscidae excretionem cito cessit malum. „ Non igitur, vt vides ex observatione Celeberr. viri, negligenda est causa strumae, quamvis toties ignorata, et nunquam decet artis peritum confundere empiricam methodum, qua nihil est mutabilius, cum rationali, qua et in rebus incertis aliquam tamen certitudinem conjectura assequimur.

Inter terrestria medicamenta magnam auctoritatem habent testae ouorum calcinatae. Sic DAPEYRON de

C 2

CHEYS-

*) LETTSON in Mem. of the Med. soc. of London. Vol. III.

**) loc. cit.

***) Ueber die salzsaure Schwererde.

CHEYSSIOL *) strumam magnitudine pugni mero testarum, cui calcinatarum usu penitus resoluisse asserit. Testas nempe tam diu igni subicit, donec colorem naturalem amittant fuscumque accipiant, quo facto in subtilissimum pulverem illas conterit. Ex hoc pulvere sumere debet aegrotus bis de die (matutino et vespertino tempore) scrupulos duos cum pauxillo vini alicujus generosi adstringentis, et aliquot horas antea ab omni abstinere debet alimento, tam solido quam fluido. Quum diuresin valde promouere illi visae sint ouorum testae, semper aegrotum diuretico et laxatiuo praeparat, vt vias vrinarias permeabiles atque ad effectum medicamenti salubrem paratiores reddat. Plerumque spatio triginta dierum sanitas aegri restituitur. De ceteris ex hac classe remediis, vt de lapide spongiae, conchis praeparatis, de osse sepiae, bolo armena, lapide haematitidis, quibus facile supersedendum est, hic taceo.

Aromata, vt piper longum, nigrum, zingiber, cortex cinnamomi etc. a pluribus commendata, ob vim irritantem, stagnationes et obstructions non admodum inueteratas resolueri possunt.

In femina quadraginta annorum nata, strumam magnitudine pugni mero extracti cicutae et laxantium usu sanauit DÜNKLERVS **).

Aquae

*) *Journal de Medecine Chirurgie et Pharmac.* par M. ROUX. Paris 1770. May.

**) *Verhandelingen uitgegeven door het Genootschap der Wetenschappen te Vlissingen*, V. Deel p. 255.

Aquae marinae interne et externe adhibitae salubres in struma effectus tribuit ROESSEL *).

Quum verosimile videatur, strumam ab aqua niuali aut glaciei ob defectum aëris fixi generari posse; aquae aëre fixo impraegnatae virtutem ad strumam destruendam non contemnendam tribuit CL. SELLE **).

Terra ponderosa salita, auctore Ill. HUFELAND ***) dignitatem spongiae tostae in hoc morbo aequat. Quandoque utilis fuit, vbi magnam spongiae tostae quantitatem sine leuamine deglutierat aeger, quandoque autem contrarium obseruatum est.

Vt remedium externe adhibendum, tumoris frictionem et pressionem lenem ac saepe reiterandam commendat GIRARD ***), qui sub hac methodo tumores aliquos sanatos, alios saltem imminutos vidit. Maxime autem vsum externum salis eulinaris aut ammoniaci, internum vero diureticorum commendat, ob semel ab illo obseruatam diabetis spontaneae vim ad strumam destruendam.

De spiritu MINDERERI externe cum emolumento adhibito vide RICHTERS *chirurg. Bibl.* Bd. V. p. 127. vnguentum ex oleo camphorato strumas incipientes quoque resoluit.

Sub vfu mixtionis ex quatuor partibus emplastrî saponacei cum camphorae parte vna tumori applicatae, et frictione diurna cum vnguento saponaceo camphorato insituta, spatio trium dierum euauit struma.

De

*) *De tab. gland. f. de vfu aquae marinae in merb. gland.*

**) *Ueber die salzsaure Schwererde.*

***) *l. c. p. 420. seq.*

De puella XII. annos nata sero lactis acido, cum elixirio HOFFMANNI atque extracto cicutae et terra foliata tartari breui tempore sanata legimus *). Externe applicabatur cataplasma ex mica panis cum aqua saturnina, et post tempus aliquod vnguentum ex aquae GOVLARDI ℥ij ol. terebinth. ℥j axung. leporin. ℥i℥ petrol. ℥j. De femina quoque narratur, quae, caeterum perfecta sanitate gaudens, quum lapidem penderis enormis eleuasset, illico dolores colli percepit, paullo post intumescentiam incipientem subito crescere vidit. Venaesectione facta, et repetitis saepe laxatiuis, sub vsu remediorum externorum supra laudatorum sanata fuit.

Vnguentum de digitali purpurea cum succo recenter expresso paratum felicissimo adhibuit euentu Cel. THILENIUS **). Commendant alii emplastrum ex fermento panis cum spiritu camphorato **): alii, emplastrum ex extracto cicutae cum gummi galbani paratum et frictionem strumae cum oleo cornu cervi: sed vnum, vt opinor, instar omnium est, nam omnia huic scopo inferuire emplastra resoluentia clarum est.

Verum enimvero totus hic medicamentorum tam externorum quam internorum apparatus, quantus quisque sit, quum aliquoties quidem, sed certo non semper, tumorem indu-

*) *Richtiger Gebrauch des Bley-Extracts in äußerlichen Zufällen, durch vieljährige Erfahrung bestätigt.* Halle 1783.

**) *Medicin. chir. Bemerkungen.* Frankfurt a. M. 1789.

***) *WOLSTEIN Ueber die Wundarzney der Thiere.* Bd. I. Wien 1784.

induratum et inueteratum resolvere possit, in casu pertinacissimo, quando pessimum se habet aegrotus ob respirationem et deglutitionem impeditam, mortem suffocatoriam imminentem, ubi omnia primum auxilia frustra tentata fuerint, quae nobis suppeditat ars medica, ut ad ultimum refugium, ad chirurgos tandem, recurramus necesse est. Sunt, qui tumorem exstirpare optimum dicant. Sed mihi quidem ob nimiam sanguinis profusionem periculi plena videtur haec operandi methodus, nisi tumorem antrosum ac scirrhum ab omni majori arteria pendentem repraesentet struma: nempe in hoc unico, raro quidem occurrente, casu operationem institui vellem, quam felici euentu bis factam vidit FODERE, et sequente quidem methodo. Tumor incisione cruciformi nudatur, vasa majora ligantur, quo facto chirurgus ipsam glandulae substantiam per incisionem examinare debet, ut videat, an scirrhus sit glandula, an potius fluidum viscidum muco similem contineat. Si posterius est, fluidum istud exprimit, telam cellulosa glandulam inter et cutem destruens, operamque dat, ut in cicatricem se contrahat, ne laxitate nimia tumoris regenerationi detur locus. Si autem prius, scirrhum a partibus adjacentibus caute separare et vasa ligare debet chirurgus, caueat autem, nervos recurrentes aut musculos thyreoides laedere. Equidem fateor, tam audacem et ancipitem mihi videri hanc operandi viam, ut curam per suppurationem, aut setaceum, aut incisionem factam *), huic semper anteponi vellem.

Nunc
*) SCHMUCKER'S vermischte chirurg. Schriften, B. II.

Nunc aliquas ab Ill. LODER mihi communicatas observationes in Instituto clinico institutas huic dissertationi unculae adungere liceat.

Observatio I.

Puella, nomine Maria Törren, ex vrbe Ienensi XI. annos nata, ceterum sana, cui sine ullo morbo praegresso glandula thyreoidea ante duos annos primum tumere inceperat, ob tumorem in dies crescentem tandem in nosocomio publico auxilium petebat. Glandula ipsa in tres partes diuisa apparebat, quarum vna seorsim et sursum, duae vero ad latus arteriae asperae vt globuli eburnei adhaerebant; facies tumida, somnus fere nullus, respiratio difficilis et clangosa. Causa scrofulosa, vt videbatur, nulla, nec habitus corporis cachecticus aderat. Luna crescente tumorem crescere, decrescente imminui mater obseruasse contendebat. Post usum internum pulueris ex spongiae tostae drachma et testarum ouorum calcinatarum drachma dimidia nonnullisque corticis cinnamomi granulis parati, tumor euauit vsque ad naturalem glandulae magnitudinem. Sumfit tandem hunc integrum puluerem quouis die. Adhibuit quoque per breue tempus emplastrum de spermate raparum cum mercurio, quod autem, quia cutem irritabat, paullo post remotum est.

Observatio II.

Femina XL. annorum, vertigine et doloribus capitis symptomaticis sirumaque laborans, quae duos annos antea

a nisu vehementiore orta, ad tam ingentem magnitudinem increuerat, ut mentum fere totum obtegeret, et respirationem difficilem redderet, post usum laxantium et spongiae tostae cum conchis praeparatis per sex hebdomades continuatum, a maxima oneris parte liberata est. Tumor ad dimidiam usque partem imminutus respirationem non amplius impediuit, quo facto etiam dolores capitis cum vertigine cessarunt. Ob curam nondum plane finitam, iussu est, ut aegrotam usum remediorum continuaret, id quod vero facere noluit, quia contenta iam erat, cum grauioribus symptomatibus liberatam se esse sentiret.

*Observatio III. *)*

Femina quaedam, optima adhuc iuuentute florens, enormi bronchocele laborans, ad Cel. SHARPE venit, rogans, ut operatione malum funditus rescinderet. Satisfecit vir Cel. desiderio feminae, ita tamen, ut aliquam solummodo tumoris partem cultro remoueret. Quod cum factum esset, febris symptomatice accessit, aegrotam vehementissime corripiens: tumor vero suppurare deinde incepit, ita, ut sensim sensimque consumeretur. Post paucas hebdomades perfecta sanitate fruens medicum reliquit aegrotam.

D 2

Obfer-

*) Beneuole communicauit mihi hanc observationem III, LODER, qui illam, cum Londini esset. a, b. Guil, HUNTERO accepit.

Observatio IV.

Dorothea Maria DRETSCHEL, ex pago *Loebstaedt*, LV annos nata, strumosa, ceterum sana, quum anno 1789. febre catarrhali, in hoc pago tunc temporis epidemice grassante, laborasset, medicosque negligens, morbum viribus naturae committeret, materia febris subito ad strumam se praecipitare visa est. Tumor enim antea mobilis, in duas partes totum collum occupantes partitus, nunc durus factus est, inflammatus, ad partem colli sinistram magis extensus, et ita inflatus, vt nec deglutire nec respirare libere posset aegrota. In consilium vocatus b. KÖHLER, Cel. LODERI t. t. ammanuensis, cataplasmata emollientia applicauit. Quum vero tumorem in dies fere crescere mortemque suffocatoriam imminere videret, incisionem fecit, quamuis non distincte percipere posset fluctuationem. Incisione vsque ad duos fere pollices cum dimidio penetrante peracta, sat larga puris quantitas cum leuamine effluxit. Noluit aegrota concedere, vt integra struma per suppurationem promotam desirueretur: quare suadente Ill. LODERO setaceum adhibitum est, cuius vsu tandem struma deleta et femina ad sanitatem perducta est.